



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Cursus theologici iuxta scholasticam huius temporis
Societatis Jesu methodum tomus ...**

Amico, Francesco

Duaci, 1640

IX. Quodnam sit subiectum nostræ Theologiæ?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82000)

S. Iacob.

sed etiam formaliter, quoad conclusiones deductas ex principiis reuelatis, creditis fide acquisita: quia sicut in damnatis manet fides acquisita eorumdem principiorum, quorum habuerunt fidem infusam in via, iuxta illud Iacobi 2. *Damones credunt*, nempe fide humana, & *contrémiscunt*: ita in ijs manet habitus non tantum materialiter, quoad conclusiones deductas ex principiis reuelatis creditis fide infusa; verum etiam formaliter, quoad conclusiones deductas ex iisdem principiis, creditis tantum fide acquisita. Vnde possunt elicere novos assensus Theologicos ex principiis reuelatis, creditis tantum fide humana: quæ tamen non manet in Beatis, in quibus clara visio Dei excludit utramque fidem infusam, & acquisitam. Neque est absurdum manere in damnatis aliquem habitum supernaturalem, qualis est Theologicus: cum in ijs maneat sacramentalis character, qui in omnium sententia est supernaturalis in essentia.

126. Ad Fundamentum Primæ distinctionis consequens: non manet in beatis formaliter in ratione habitus, & comprincipij, inclinantis ad consimiles actus; concedo: non manet materialiter, in ratione scientiæ & conclusionis deductæ; Nego. Nec est eadem ratio de habitu fidei infusæ, quia cum hæc se habeat per modum potentiæ inclinantis tantum ad reuelata credenda, non habet aliud munus, quam intellectum iuuare ad obiecta reuelata credenda: quo fine in patria cessante, cessat & ipse habitus ad talem finem essentialiter ordinatus. At verò habitus Theologicus non solum inclinat potentiam ad conclusiones Theologicas deducendas, sed præterea continet ipsas conclusiones ex principiis reuelatis deductas: continet enim species intelligibiles conclusionum Theologicarum, quæ sunt virtuales representationes earum. Vnde potest beatus eas intuendo, saltem abstractiue, cognoscere conclusiones ipsas deductas, quarum ipsæ species sunt representatiuæ.

S. Thomas.

127. Ad Confirmationem, nego assumptum: quia licet habitus Theologicus in Patria non deseruiat ad consimiles actus elicendos: deseruit tamen ad exprimendas obiectiue intellectui conclusiones Theologicas iam deductas; atque adeo non erit in ijs otiosus. Locum autem Pauli explicat S. Thomas locis præcitatis de actu, non de habitu Theologico, qui in Patria non erit obscurus, & per conuersionem ad phantasmata, sed clarus & euidens, & sine vlla conuersione ad phantasmata: nam etiam ille actus, quo Beatus cognoscit conclusiones Theologicas, ex principiis reuelatis deductas, est euidens; quia licet cognoscat illas abstractiue, euidenter tamen cognoscit eas in ipsis speciebus representantibus.

128. Dices. Ergo pari modo deberet in Beatis remanere habitus fidei, quia in illo euidenter cognosceret omnia obiecta reuelata. Resp. Nego sequelam: nam Beatus non

eget habitu fidei, ut eo mediante cognoscat obiecta reuelata; siquidem illa euidenter cognoscit in verbo: solum posset in eo remanere, ut eo mediante cognosceret obiecta, quæ de facto in via credidit: sicut remanet habitus Theologicus, ut eo mediante cognoscat conclusiones, quas de facto ipse in via ex reuelatis deduxit. Verum ad hunc effectum non potest deseruire habitus fidei; quia cum sit ad instar potentiæ indifferentis ad hæc, vel illa obiecta, non potest hæc potius, quæ actu credidit, quam quæ poterat credere, intellectui exprimere. Habitus verò Theologicus, cum consistat in speciebus acquisitis ex præteritis actibus, solum potest exprimere ea, quæ actu cognita fuere, & ex reuelatis Theologicis deducta.

SECTIO IX.

Quodnam sit subiectum nostræ Theologiæ.

129. **N**OTAT Durandus q. 5. Prologi nu. 6. & cum eo alij, discrimen inter subiectum, & obiectum scientiæ: eod quod obiectum est id, quod principaliter terminat actum scientiæ: quod autem principaliter terminat actum scientiæ, est conclusio ipsa in scientia demonstrata, quæ est propositio complexa, continens subiectum & passionem. Subiectum verò est illud, de quo demonstrantur passionem scientiæ: quod ordinariè est terminus incomplexus, cuius cognitio principaliter in scientia intèditur: Quod tres habere debet conditiones, primam, ut virtute contineat omnes veritates in scientia demonstrabiles; secundam, quæ sequitur ex prima, ut de eo possint reliqua denominatiue prædicari; tertiã, ut si quid aliud in tali scientia tractatur, tractetur per attributionem ad ipsum. Tamen si alij subiectum cum obiecto scientiæ confundat: nos sequuti modum loquendi grauiorum Theologorum, ea distinguimus, & propterea in titulo sectionis vsumus potius nomine *subiecti*, quam *obiecti*.

130. PRIMA sententia Magistri in primo dist. 1. initio docentis subiectum Theologiæ nostræ esse tum signa, tum res: per signa autem cum Augustino intelligit, non solum voces, sed etiam res ad alias res significandas impositas; velut Sacramenta, quæ sunt res impositæ ad significandas alias res, nempe gratiam, characterem, &c. Probat autem hanc suam sententiam Magister auctoritate Augustini lib. 1. de doctrina Christiana. c. 2. Vbi docet, omnem doctrinam aut rerum esse, aut signorum. Secundo ratione: quia quid in Theologia tractatur, aut sunt res, aut signa: ergo hoc est obiectum adæquatum ipsius.

131. SECUNDA sententia Durandi q. 5. Prologi, ubi præmissa distinctione Theologiæ in habitum creditium articulo-

fidei,

Durandus.

Magister.

Augustinus.

Durandus.

Fidei, declaratiuum ac definitiuum eorumdem, & deductiuum conclusionum ex articulis Fidei: primo & tertio habitui pro subiecto assignat actum meritorium; secundo vero Deum, non sub ratione absoluta Deitatis, sed respectiua Saluatoris. Primam partem probat, quonia illud est subiectum in aliqua doctrina, quod in ea primo & principaliter consideratur, & ad quod attributionem dicunt reliqua, quae in ea traduntur: talis est actus meritorius in Theologia primo ac tertio modo accepta. ergo hic est subiectum ipsius. Maior constat ex conditione subiecti doctrinalis. Minor probatur: Nam omnia quae vel in scriptura credenda proponuntur, vel ex articulis deducta traduntur, attributionem dicunt ad opus meritorium: Nam aut sunt praeccepta, aut exempla, aut monita, aut praemia, vel poenae bene vel male operantibus proposita; aut cognitio ipsa Dei, quae non tam proponitur propter se, cum sit obscura & ineuidens, quam propter actum ipsum meritorium. Tum quia ipsummet credere est nobis meritorium, iuxta illud Ioan. 20. *Hec autem scripta sunt ut credatis, quia Iesus est Christus Filius Dei uiui; & ut credentes vitam habeatis in nomine eius*: tum quia est regula totius operis meritorij. Praeterea quae ex articulis deducuntur potius diriguntur ad inflammandum affectum, quam ad illustrandum intellectum, cum de se modicum habeant de notitia, plurimum vero de affectu.

132. SECUNDAM partem ostendit hoc patet: Illud est subiectum in scientia, quod est subiectum in conclusione principaliter illata & scita: sed Deus est subiectum in conclusione principaliter illata & scita in Theologia, ut est declaratiua & defensiva articulo Fidei. ergo. Maior constat ex conditione subiecti scientifici. Minor probatur: nam ex ijs, quae Fides tradit, ea tantum principaliter declarat & defendit Theologia, quae specialem habent difficultatem, quaeque principia sunt reliquorum: sed haec sunt, quae de Deo vel secundum se, vel ut Incarnato Fides docet: reliqua enim nec specialem habent difficultatem, ob quam defedi ac declarari debeant, nec principia sunt aliorum, sed conclusiones potius ex his deductae.

133. Quod autem Theologia hoc modo sumpta non consideret Deum sub ratione absoluta Deitatis, sed respectiua saluatoris probat primo, quia sub ea ratione aliquid est subiectum in aliqua scientia, sub qua in ea principaliter consideratur, & secundum quam virtute continet reliqua omnia: talis est Deus sub ratione saluatoris respectu Theologiae secundo modo acceptae. ergo. Maior constat ex conditione subiecti primi ac principalis. Minor quoad priorem partem patet, quia nunquam fuit Fides, quae saltem implicite non fuerit de saluatore. Quoad posteriorem vero partem probatur, quia in ratione ipsa saluatoris virtute continentur Incarnatio, Passio, Resurrectio, Ascensio, aduentus in futurum iudicium. Ergo. Secundo quia sub illa ratione Deus est subiectum Theologiae hoc modo sumptae, sub qua maxime habitudinem dicit ad opus meritorium: talis est saluatoris ratio. Ergo. Maior patet, quia principia habere debent habitudinem ad conclusionem: sed articuli Fidei sunt principia respectu eorum, quae in sacra scriptura concluduntur de opere meritorio. Ergo.

De Deo Tom. I.

Minor vero probatur: Nam illa ratio maxime habitudinem habet ad opus meritorium, quae aliquatim includit rationem finis, & modum perueniendi ad finem: cum in agibilibus finis habeat rationem principij: sed ratio saluatoris includit finem operis meritorij, nempe salutem, & implicite modum perueniendi ad finem. ergo.

134. Huc reducit opinio Hugonis de S. Victore, assignantis subiectum Theologiae opera restorationis, seu Incarnationis lib. 1. de Sacramentis cap. 2. & 3. Nec non opinio Cassiodori citata a Scoto in Prologo q. 1. Laterali, asserentis subiectum Theologiae esse Christum ut caput, cum suis membris.

135. TERTIA sententia affirmat, subiectum Theologiae esse Deum sub ratione absoluta Deitatis. Est S. Thomae 1. p. q. 1. art. 7. & reliquorum tum Scholasticorum in Prologo, tum interpretum S. Th. loco praecitato.

Pro cuius controuersiae explicatione notandum, subiectum scientiae diuidi in primum, & secundarium; primum est, cuius cognitio principaliter in scientia intenditur, & ad quod reliqua in ea scientia considerata attributionem dicunt: secundarium est, cuius cognitio non attenditur per se, sed propter cognitionem primarij, ad quod plenius cognoscendum illud in scientia consideratur. Secundo: Diuidi in subiectum attributionis, quod coincidit cum primario; & in subiectum comunitatis, siue praedicationis, quod & adaequatum dicitur, complectiturque sub una ratione comuni omnia, quae in tali scientia tractantur, siue sint subiecta primaria, siue secundaria. Tercio: Diuidi in subiectum materiale, & formale. Materiale est commune pluribus scientijs, & habitibus: formale est proprium vnus, cuius tantum est specificare, & unitatem dare habitibus: specificatio enim & unitas non desumitur ab ijs, quae sunt communia pluribus, sed quae sunt propria vnus cuiusque. Rursus ratio ipsa formalis subdiuiditur in rationem formalem Quae, & in rationem formalem Quae, seu propter quam: illa est quae in scientia primario terminat actum scientificum, & omnia alia terminat per ordinem ad illam: haec est, propter quam intellectus mouetur ad assensum praebendum. Illa dicitur ratio formalis terminatiua, seu subiectiua; haec ratio formalis motiua. Prior etiam formalis respectu obiectorum secundariorum, materialis vero respectu rationis formalis motiuae: Posterior cum non ordinetur ad aliam rationem priorem, est tantum formalis, a qua scientia desumit ultimam suam specificationem & unitatem: & in scientijs naturalibus sunt media, seu principia, quibus intellectus mouetur ad assentiendum conclusionibus. His adnotatis,

136. Dico primo: Subiectum adaequatum Theologiae commune communitate praedicationis, est ens diuinum cognoscibile per reuelationem virtualem: quod sub alijs terminis S. Tho. q. vnica Prologiar. 4. appellauit ens diuinum cognoscibile per inspirationem. Fundamentum est: quoniam adaequatum subiectum scientiae est illud, quod omnia, quae in

Hugo de S. Victore.

Cassiodor. Scotus.

S. Thomas. Reliqui Scholastici.

S. Thomas.

C

scien-

scientia tractantur, exprimit sub ea ratione, sub qua à tali scientia tractantur: tale est subiectum assignatum respectu Theologiæ nostræ, ergo. Maior probatur: nam subiectum adæquatum, ut ex nomine ipso patet, debet amplecti omnia, quæ in scientia tractantur, & sub ea ratione, sub qua tractantur; alioqui non esset subiectum adæquatum. Minorem ostendo: nam quidquid in Theologia tractatur, aut Deus est, aut attributionem dicit ad Deum: ergo rectè exprimi potest per ens Diuinum, quod tanquam analogum primariò stat pro Deo principali analogato, secundariò pro creaturis, ut extrinsecè participantibus rationem Diuini. Sicut sanum rectè dicitur subiectum adæquatum Medicinæ, quia adæquatè amplectitur quidquid in medicina tractatur, & sub ea ratione sub qua tractatur, quæ est sanitas, primariò competens animali, quod est primarium subiectum medicinæ; secundariò reliquis attributionem dicentibus ad sanitatem, quæ intrinsecè est in animali.

137. Debet præterea subiectum adæquatum scientiæ exprimere ultimam rationem formalem motiuam, à qua proximè specificatur scientia: hæc autem exprimitur per illa verba, *Ut cognoscibile per reuelationem virtualem*. Nam per reuelationem differt subiectum Theologiæ nostræ à Theologia naturali, & supernaturali Beatorum: quia prior per euidentiā naturalem abstractiuam, posterior per euidentiā supernaturalem intuitiuam: Per virtualem differt à subiecto formali Fidei, quod est reuelatio formalis, & immediata.

138. DICES. Ens Diuinum hoc sensu explicatum æquè latè patet atq; ens: nam omne ens aut Deus est, aut creatura: non ergo aptè assignatur subiectum Theologiæ, quod debet esse aliquod magis limitatum. Resp. Limitari per duplicem rationem formalem, tum subiectiuam, tum motiuam: nam per rationem Diuini limitatur secundum rationem formalem subiectiuam, secundum quam de creaturis in Theologia disputatur: per reuelationem verò virtualem limitatur secundum rationem formalem motiuam, secundum quam hæc omnia cadere possunt in considerationem Theologiæ.

139. DICO 2. Primarium subiectum Theologiæ est Deus, sub ratione Deitatis; secundarium verò sunt creaturæ, quatenus attributionem aliquam dicunt ad Deum. Prima pars constat: nam illud est primarium subiectum in scientia, cuius notitia in ea primariò intenditur, & in ordine ad quod reliqua tractantur: talis est Deus in Theologia, ergo. Maior constat ex conditione subiecti primarij. Minor probatur: tum ex nomine ipso Theologiæ, quod scientiam, siue sermonem de Deo importat: tum quia præstantissima scientia, qualis est Theologia, esse debet de præstantissimo subiecto, qualis est Deus.

140. SECUNDA pars, nempe quòd Deus sub ratione Deitatis consideretur à Theologo probatur: tum quia sub ea ratione est subiectum Theologiæ Beatorum: atqui subiectum Theologiæ Beatorum non differt à sub-

iecto Theologiæ nostræ in ratione formali subiectiuam, sed in ratione tantum formali motiuam: nam quod nos credimus de Deo, ipsi vident iuxta illud 1. Cor. 13. *Nunc in enigmate, tunc facie ad faciem*. Tum quia, cum Theologia nostra non solum sit practica, sed etiam speculatiua, & in quauis speculatiua scientia eius subiecti notitia maximè spectetur, quod in ea est præcipuum: cum Deus sit præcipuum subiectum Theologiæ, ut probatum est: sequitur, quòd ipsius notitia, sub ratione Deitatis maximè in Theologia spectetur. Nam eam notitiam speculatiua scientia de suo subiecto maximè intendit, quæ est ipsius naturæ explicatiua & declaratiua: atqui hæc est notitia Dei sub ratione Deitatis; nam hæc tantum explicat, quantum nobis viatoribus explicari potest, naturam & essentiam Dei: cum reliquæ rationes in Deo consideratæ, vel non explicant adæquatè naturam Dei, vel sint illi extrinsecæ, & contingentes.

141. TERTIA pars probatur. Nam Theologia non solum disputat de Deo, sed etiam de creaturis, de actibus humanis, de gratia, de virtutibus, de Sacramentis, &c. disputat autem de his per ordinem ad Deum. Cuius attributionis ratio est, quoniam creaturæ varias nobis à posteriori de Deo perfectiones exprimunt; ut creatio Omnipotentiam; iustificatio bonitatem; Incarnatio munificentiam, & liberalitatem; punitio peccatorum iustitiam; quemadmodum & retributio bonorum fidelitatem, & misericordiam. Et quia in quauis scientia maximè attenditur perfecta notitia subiecti primarij, quæ haberi non potest, nisi cognitio ipsius varijs effectibus, ex quorum notitia deuenitur in cognitionem ipsius subiecti primarij; ideo de his agit Theologia ad plenius & perfectius cognoscendum Deum subiectum primarium.

142. DICO tertio. Ratio formalis motiuam, sub qua de his omnibus agit Theologia, est diuina reuelatio per discursum applicata. Fundamentum est, quia Theologia nostra essentialiter discriminatur à Theologia naturali viatorum; non potest autem essentialiter discriminari per rationem terminatiuam *Quæ*; nam hæc ut patet, est eadem in utraque scientia, nempe Deitas sub ratione Deitatis: ergo per rationem formalem motiuam *Quæ*, quæ in Theologia naturali est medium illustratum lumine naturali; in Theologia verò supernaturali est medium illustratum lumine supernaturali.

143. Pro cuius intelligentia nota, rationem formalem motiuam assentiendi esse principia ipsa, ut cognita, quia nequit aliquid esse intellectui ratio assentiendi, nisi ut cognitum: ergo ex variatione luminis, quo principia ipsa cognoscuntur, variatur ratio formalis motiuam assentiendi. Quia igitur lumen naturale, & supernaturale differunt inter se; eadem principia cognita lumine naturali, & supernaturali constituunt diuersas rationes formales assentiendi: cum igitur sæpe principia remota, quibus Theologia nostra, ac natura

lis vitur, sint eadem; vt in ratione principij proximi discriminentur, debent diuerso lumine ac notitia intellectui applicari: applicantur autem vni per lumen & notitiam naturalem euidentem, alteri per lumen & notitiam supernaturalem ineuidentem Fidei. Ergo ratio motiua, propter quam Theologia nostra assentitur cōclusionibus Theologicis, est reuelatio per discursum applicata.

144. DICES. Lumen & cognitio se tenent ex parte potentiae; ergo non possunt esse ratio motiua, quæ se tenet ex parte obiecti. Resp. Duplex esse lumen, vnum tenens se ex parte potentiae, quo fit potens ad obiectum percipiendum; aliud tenens se ex parte obiecti, quo illustratū fortius, aut minus fortiter mouet intellectum ad assensum præbendum. Nostra cōclusio intelligenda est de posteriore lumine, non de priore. Nec refert, quod tale lumen respectu primæ cognitionis se teneat ex parte potentie, quæ obiectum ipsum cognoscit; quia sufficit, vt se teneat ex parte obiecti, respectu alterius cognitionis, respectu cuius prior cognitio se habet vt principium; quia respectu alterius cognitionis prior cognitio præsupponitur, vt principium mouens, & determinans intellectum ad assensum cōclusionis. Nec obstat quod cognitio, quæ cognoscuntur principia, sit tantum conditio, & non ratio formalis assentiendi cōclusioni; quia sub diuersa illa cognitione diuersa responderet ratio formalis motiua in principijs ipsis: Nam assensui supernaturali Fidei responderet supernaturalis reuelatio in obiecto, sub qua obiectum terminat talem assensum: assensui verò naturalis scientiæ responderet ratio aliqua naturalis, sub qua obiectum terminat talem assensum: ac proinde principia, diuerso lumine ac notitia cognita, diuersas constituunt rationes formales assentiendi.

145. Ex dictis deducitur 1. Non quæuis principia esse apta ad inferendas cōclusiones Theologicas, sed quæ tantum supponuntur reuelata, & credita Fide diuina: Nam hæc sola supponuntur illustrata lumine superiori: ex qua parte Theologia nostra habet limitatius obiectum, quam Theologia naturalis, cuius principia sunt omnia, quæ naturali lumine cognita, apta sunt inferre aliquam cognitionem de Deo. Quare nec de omnibus rebus creatis disputat Theologia nostra, sed de his tantum, quæ vel ex reuelatis deduci possunt, vel quæ reuelatæ possunt esse principia aliarum veritatum, nec de Deo, nisi reuelato lumine cognito.

146. Deducitur secundò. Deitatem esse rationem formalem respectu creaturarum, de quibus tractatur in Theologia; esse verò rationem materiale respectu reuelationis virtualis. Primum constat, quia respectu creaturarum est ratio, propter quam in Theologia de creaturis disputatur. Secundum probatur, quia reuelatio virtualis est ratio assentiendi omnibus, quæ in Theologia tractantur, & in quâ vltimò resoluitur omnis discursus Theologicus: Vnde ex hac, & non ex illa Theologia sumit suam vnitatem, & specificationem.

147. Deducitur tertio. Finitatem sub qua Deitas terminat assensum Theologiæ nostræ, aut Beatorum, non esse rationem formalem, aut terminatiuam, aut motiuam, sed puram conditionem ex parte actus, illam essentialiter exigentis. Primum patet, quia nulla ratio contradictoriè opposita obiecto potest esse terminatiua, aut motiua potentiae; vel habitus circa tale obiectum: sed finitas est ratio contradictoriè opposita Deitati, quæ est obiectum Theologiæ; ergo non potest esse ratio terminatiua, aut motiua habitus Theologici. Minor cum consequentia elucet. Maiorem ostendo: nam ratio motiua & terminatiua subiecti scientifici debent expressè, & per se, vt tales rationes sunt, mouere, & terminare actum scientificum; cum sint rationes in scientia primariò intentæ, & propter quas cetera in scientia considerantur. At nequit habitus siue potentia mediante habitu expressè, & per se moueri, & terminari ad rationem contradictoriè oppositam subiecto, cuius est habitus. Secundum probatur, quia cum implicet, vt suppono, actum creatum infinito modo versari circa Deum, finitas erit conditio essentialiter requisita ex parte actus. Est igitur finitas conditio ex parte actus tendentis ad obiectum, non ex parte obiecti terminantis actum.

148. DICES. Implicat esse aliquid in actu, quod non respondeat etiam ex parte obiecti, cum tota essentia actus sit ad exprimendum obiectum: nequit igitur finitas esse conditio ex parte actus Theologici, & non etiā ex parte obiecti. Resp. Distinguendo duplicem rationem in actu, vnam ex parte actus, quatenus est expressio, & imago obiecti; alterā ex parte actus, quatenus est accidens & forma subiecti: Prior semper respondet illi ex parte obiecti: quia imago tota est ad exprimendum obiectum: posterior verò illi respōdet ex parte subiecti: vt actus beatificus, quatenus tenet se ex parte obiecti illud exprimendo, participat aliquam rationem actus puri; quatenus verò tenet se ex parte potentiae immerse potentialitati, est inherens & potentiale. Pari modo finitas est conditio tenens se ex parte subiecti finito modo tendentis ad obiectum.

149. AD primum primæ sententiæ Resp. Eo loco Augustinum non exactè assignare subiectum Theologiæ, sed potiùs illa partitione rerum, & signorum comprehendere voluisse subiectum cuiuscūque scientiæ, & doctrinæ, vt ipsemet testatur: nā sicut dicta partitione rerum, & signorum omnia comprehendit; ita nullius scientiæ subiectum excludit, cuiuscūque enim scientiæ subiectum, aut sunt signa aut res, aut vtrique simul. Ad 2. Concedo quidquid in Theologia tractatur, aut esse res aut signa: nego tamen, subiectum adæquatum ipsius esse res & signa: quoniam subiectum adæquatum debet exprimere primariam rationem, propter quam ea in scientia tractantur: quia debet distinguere vnam scientiam ab alia, quam non distinguit, nisi per hanc rationem.

August.

Durandus

150. AD 2. sententiam Durandi nego, aut actum meritorium, aut Deum sub ratione saluatoris esse primum subiectum fidei, aut Theologiæ. Vnde ad argumenta pro prima parte nego minorem; tum quia vel Theologia consideratur, ut est speculatiua scientia; & sic primum eius subiectum est Deus sub ratione Deitatis; nam hæc cognitio ab ipsa, ut speculatiua est, potissime intenditur: vel ut practica est; & sic primum eius subiectum non est actus meritorius, sed Deus, ut assequibilis à nobis actu meritorio: cuius ratio est, quia Theologia non sedit in ipsa consideratione actus meritorij, sed ulterius tendit in notitiam practicam finis, ut assequibilis actu meritorio. Vnde omnia Durandi Commenta solum probant, Theologiam nostram tendere ad actum meritorium, tanquam ad medium, quo proximè finem assequimur, non tamquam ad finem ultimum, ad quem tendit, & ordinatur practica Theologia; hic enim est Deus, ut est ultima felicitas, & Beatitudo nostra. Cuius ratio à priori est: quoniam in agibilibus finis est principium omnium practicarum conclusionum: nam ex eo mouetur intellectus ad concludenda omnia media, quæ ad finem conducunt: ergo in scientia practica magis attenditur consideratio finis, quam mediorum: igitur Theologia, quia practica scientia est, magis attendit considerationem Dei, qui est fi-

nis quam actus meritorij, qui est medium atque hoc probat auctoritas Ioan. à Durando, citata: nam vita, quæ nobis promittitur, ut finis nostræ fidei, est beatitudo æterna, quæ consistit in ipso Deo, iuxta illud eiusdem Ioan. 17. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum.* Reliqua, quæ à Durando afferuntur, solum probant Theologiam, ut practica scientia est, ordinari quidem ad opus meritorium, non tamen ultimè, & principaliter, sed non ultimè, & minùs principaliter.

151. AD argumentum secundæ partis, quo probat Deum sub ratione saluatoris esse subiectum Theologiæ, ut est declaratiua, & defensiva articulorum, neganda est minor: nam ipsa ratio Saluatoris, & reliquæ in ea contentæ ultimè considerantur à Theologo in ordine ad Deum, vel ut practice consequibilem, vel ut speculatiue cognoscibilem. Neque ex eo, quod Fides de Salvatore fuit omni tempore ad salutem necessaria, rectè colligitur, quod Deus, sub ratione Saluatoris, sit subiectum Theologiæ, sed solum, quod talis Fides sit præcipuum medium ad consequendum finem. Vltimum argumentum supponit falsum principium, à nobis iam confutatum, nempe quod opus meritorium sit primum subiectum Theologiæ.

S. Ioan.
Durandus.

DISPUTATIO II.

De Existentia Dei.



V. M. vnus cuiusque scientiæ munus sit perfectam de suo subiecto tradere notitiam; postquam probatum est subiectum primum Theologiæ esse Deum: consequens est, ut ipsius naturam & attributa, quantum ad umbrato Fidei lumine suffulti assequi poterimus, explicemus. Dupliciter autem Dei natura considerari potest, vno modo secundum se, in ordine ad intrinsecas perfectiones, quibus constituitur: alio modo in ordine ad creaturas, in ordine ad quas triplicem habet considerationem, secundum triplicem respectum, quem dicit ad illas, ut principium, ut Finis, ut Reparator. Secundum quem triplicem respectum considerat Angelicus Doctor Deum in sua summa, quam in tres diuidit partes; in prima disputat de Deo in ordine ad se, & ut principio creaturarum; in secunda ut Fine earundem; in tertia ut Reparatore naturæ lapsæ. Eandem methodum sequemur & nos in hac nostra Theologica summa. Quoniam verò consideratio Dei in ordine ad creaturas supponit considerationem Dei in ordine ad se, prius de illa in hoc Tomo; tum de reliquis

in sequentibus, ordine ac methodo prædicta disputabimus. Ac primo loco stabilienda est Dei existentia, tanquam fundamentum & basis cæterorum: quæ etsi iuxta scientiæ leges supponenda potius esset, quam probanda, cum nulla scientia probeat, sed supponat suum subiectum, quia tamen non desunt Athei, qui illam negent, Theologici muneris est, adhibitis naturæ principiis, hanc veritatem contra Atheos demonstrare.

An DEVM esse sic demonstrabile?

1. **R**ATIO dubitandi quadruplex est, prima quoniam ea tantum, auctore Philosopho 1. Post. 3. sunt demonstrabilia, quæ non sunt per se nota: atqui Deum esse, est per se notum: ergo Deum esse, est indemonstrabile. Maior constat, quoniam ea sunt demonstrabilia, quæ habent medium notius, quam sint ipsa, quæ demonstrantur; demonstratio enim tendit ad notificandum id, quod est ignotum, per id quod est notius. Minor probatur: Nam illud est per se notum ex S. Thom. p. p. qu. 2. a. 1. cuius prædicatum est

S. Thomas.

de ratione

S. Thomas.